

1807.
Rhode
sectio cæsaria

RELATIO

DE

SECTIONE CÆSAREA FELICITER
PERACTA.



PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS CAPESSENDIS

SCRIPSIT


CAROLUS LUDOVICUS RHODE.

MENSE SEPTEMBRIS MDCCCII




DORPATI, TYPIS M. G. GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

8 19375



P r o o e m i u m.



Historiam sectionis cæsariæ scripturo, quum haud desuturos arbitrer, qui me, successu præter expectationem felici, elatum, hanc relationem ideo concinasse putent, ut gloriolam aliquam aucuparer, paucis de consilio in hoc specimine exsequendo præfari mihi liceat.

Sectio, quam vocant cæsaream, ad illas operationes chirurgicas pertinet, quæ, quo difficiliore sint, quo apertius vita humana periclitetur, eo magis postulant, sive feliciter peractæ sint nec ne, ut ab omnibus artis medicæ peritis cognitæ atque perspectæ habeantur; quum, quid inde utilitatis in disciplinam ipsam magis magisque amplificandam redundet, neminem facile fugere possit.

Jam vero Cl. Kurzwig, civitatis Rigenfis medicus practicus, partem hujus relationis Ephemeridibus chirurgicis *), a Lodero, Viro illustriffimo, editis inferendam curavit; tamen, quum partim non nulla defiderarentur, quæ inprimis ad rem omnino perfpiciendam mihi facere videbantur, partim vero curationis exitus ne quidem describeretur, mei effe putavi, relationem fupra memoratam, diario meo in auxilium vocato, paulo acuratius pertexere, fperans fore, ut judices periti iique benevoli opellam meam qualemcunque non omnino afpernentur,

*) Journal der Chirurgie, 2. B.



Cum de multis operationibus chirurgicis plerumque adhuc ambigitur, tum maxime de sectione cæsarea mira et opinionum et sententiarum Virorum doctorum exstat discrepantia. Alii enim eam omnino rejiciendam censuerunt ¹⁾; alii vero, ut eam commendarent, argumentis luculentissimis, ejus esse permagnam utilitatem demonstrare fatigerunt ²⁾. Inprimis vero in varias discesserunt sententias rerum obstetriciarum periti, ubi fermo erat de periculo, cui vita puerperarum hac operatione exponeretur. Multi quidem, inter quos appellare sufficiat Mauriceauum ³⁾, Pareum ⁴⁾, Mottium ⁵⁾, Rœdererum ⁶⁾, Baudeloquium ⁷⁾, Saccombium ⁸⁾ et Steinium ⁹⁾, hanc chirurgicam operationem, præ cæteris, periculosam putarunt, quum Cl. Loderus ¹⁰⁾, non

- 1) Guillemeau de la grosseffe et de l'accouchement des femmes. Paris 1588. — Marchand in Rouffetti apologiam declamatio. Paris 1598.
- 2) Rouffet, Traité nouveau dell'ayitrotomie ou enfeitement césarien, à Paris 1581. — Fioravanti Chirurgie, Venice. 1588.
- 3) Traité des maladies des femmes grosses par Mauriceau. Tom. II. p. 353.
- 4) Lib. de generatione Cap. 31.
- 5) Traité de Chirurgie par la Motte.
- 6) Elementa artis oblietriciæ. Gottingæ 1766 §. 781.
- 7) Anleitung zur Entbindungskunst. II. B. p. 255.
- 8) Neue Theorie der Geburtshülfe, p. 133.
- 9) Practische Anleitung zur Geburtshülfe. Fünfte Auflage. S. 250.
- 10) Journal der Chirurgie. II. B. 4. St. S. 765 - 767.

hoc tantum neget, verum etiam neque difficilem, neque dolorosam eam esse existimet.

Quamvis vero has tantas virorum doctorum lites componere certe mihi non arrogem, tamen non possum non observare, eam forte, quæ inter optimos Medicos obtinet, opinionum diversitatem in causa fuisse, cur plerique aut nimis formidulosi operationem modo dictam reformidarent, aut plus justo audaces ad eam temere perficiendam accederent; quo quidem quam male cum disciplinæ tum vitæ humanæ prospectum fuerit, facile quis intelliget.

Rationes non nullæ me impediunt, quo minus et ipse ejus modi exempla in medium proferam; mihi tamen temperare non possum quin optem, ut medici me peritiores atque acutiores diligentius perscrutentur, quid peccatum sit intra muros et extra; ut tandem aliquando hæ diversæ eæque inter se quam maxime discrepantes Virorum doctorum sententiæ, quantum pro re ipsa fieri possit, omnino concilientur.

Quod ad indicationes attinet, unde appareat, sectionem cæsaream necessariam esse, omnes qui nostro tempore de re obstetricia scripserunt, in eo consentiunt, eam tunc esse adhibendam, ubi, propter pelvis angustiam, infans neque per viam naturalem in lucem edi, neque, eo jam mortuo, excerebratione et dissectione facta, ex utero protrahi possit.

Quod postremo innui, locum habebat apud puerperam, quam ope sectionis cæsareæ partu levandam censebam. Ipsi judicent artis medendi periti, an ex præceptis disciplinæ nostræ

egerim; quod quo facilius fieri possit, fusius jam rem ipsam narrabo.

Fœmina, octodecim annos nata, mediocri statura, forti saneque corporis constitutione, Rigæ in suburbio petropolitano egenam admodum vitam ducens, primum gravida, postquam per triduum in partu laboraverat, me in auxilium vocavit, tertio die mensis Januarii anno MDCCXCVI. — Quum enim illa, quæ aderat, obstetrix, naturæ viribus confisa, nihil fecisset, quo puerpera partu liberaretur, ipsa medicum obstetricium sibi adduci postulaverat. Intromissus igitur, quum adcurate inquisivissem in ea quæ jam facta essent, conditione pelvis et infantis situ diligenter explorato, pelvim a parte anteriore versus partes posteriores mirum in modum compressam, et a latere dextro sinistrorsum distortam esse reperi.

Infantis vero caput, quamquam positione naturali, altius tamen, quam par erat, pondere suo, ossa compressa gravabat. Jam partum emortuum suspicabar, quod postea eventu comprobatum est. Promontorium ossis sacri a symphyssi ossium pubis $2\frac{1}{4}$ poll. tantum distabat; ita ut, propter pelvis angustiam, partus in inferiorem aperturæ partem descendere non posset. Cæterum obstetrix adfirmabat, mulierem parturientem, sine ullo effectu, uehementissimis doloribus laborasse, liquoremque amnii 24 abhinc horis jam effluxisse.

Jam sanguinis multi jactura facta, viribusque mirum in modum exhaustis, quum ægrota in manifesto periculo mihi versari videretur, primum eam tentare atque præparare quodam modo

apud me statui, declarans, eam sine ope instrumentorum chirurgicorum parere non posse. Quod quum animo satis composito atque firmato percepisset, respondissetque: „facerem quodcunque mihi visum esset, modo vita servaretur sua“, statim forcipem adplicare studui.

Tanta vero erat et vaginæ et pelvis angustia, ut ne alterum quidem forcipis brachium inmitti, neque, propter nimiam obliquitatem et superioris pelvis aperturæ angustiam, perforatorium adhiberi posset.

Quæ quum ita essent, omnino metuendum erat, ne partus excerebrationem et dissectionem puerperæ laborantis mors sequeretur; et quia res præsens auxilium postulabat, protinus, urbe repetita, rogitavi Medicos nonnullos, viros gravissimos eosque artis obstetriciæ peritissimos, ut suo me adjuvarent consilio.

Qui quum in consultatione ideo solemniter instituta, omnibus ac singulis mature expensis atque ponderatis, uno ore statuissent, sectionis cæsareæ periculum esse faciendum; ipse memet hanc operationem tentaturum pollicebar, persuasus, miseræ puerperæ, si qua fieri possit, hac unica, quamquam admodum anticipi medendi ratione posse succurri.

Præparandus jam atque firmandus, erat ægrotæ animus; demonstranda operationis necessitas, quæ quidem cum partus edi, tum ipsa incolumis servari possit.

Dum nos adhuc dubitamus, an muliercula infelix rationibus nostris se esset submissura, ecce! illa summa animi tranquillitate atque fortitudine, se ad omnia perpetienda paratissimam

fore profitebatur, dummodo morti, quam reformidabat, eriperetur. Cæterum optabat, ut maritus in suum conspectum veniret; qui, de consilio uxoris certior factus, quum animum despondisset, a viragine nostra confirmatus est.

Jam lectulo, stragulis necessariis atque ceratis linteis instructo, et, ut utrimque et sine ullo impedimento adiri possit, in medio cubiculo collocato, primum intestinum rectum puerperæ clysterio evacuandum urinamque cathedere detrahendam duxi. Quo facto, ægrota, quum arte nostra mirifice confisa *), nobis ejus consensum iterum iterumque requirentibus, fortem se atque propositi tenacem præstitisset, lectulo imposta est, situs, quem operatio requirebat, ratione habita. Abdomine hinc nudato, tergo pulvinis dense fartis suffulto, utroque denique hypochondrioidem manibus auxiliantis, qui sinistra ad lectum in genua se demiserat, sustentato, dum manus et crura a cæteris medicis, humanitatis causa me adjuvantibus, tenebantur, ad operationem ipsam transgressus sum.

Rationibus nonnullis satis notis, quas Loderus, qui est ab intimis aulæ consiliis, in Ephemeridibus chirurgicis, pro ingenii sui acumine, nuper exposuit, inductus, in alba linea uno pollice infra umbilicum ad unum et dimidium usque pollicem supra symphysin ossium pubis, cultello incisorio convexo sectionem feci.

*) Quantum ægotantium fiducia faciat ad operationes qualescunque chirurgicæ adjuvandas, ego ipse sæpe numero expertus sum. Jure meritoque igitur eam prædicarunt recentiores de rebus chirurgicis scriptores. Vid. T. A. Mülleri Diss. de Hysterotomia, Lips. 1800, p. 20. Loders Journal der Chirurgie, 2. B. S. 771.

Uno cultelli tractu integumenta communia et paniculum adiposum ad lineam albam usque difsecui. — Haud multum sanguinis effusum est. Cultello iterum adhibito, muscoli abdominales, simul cum peritonæo, difsecti sunt. Apparuerunt jam intestina tenuia, aëre inflata, et infra, vesica, cujus pars superior aliquantum adhuc urinæ continebat. Repressæ hæc partes sunt quodammodo adque sursum paulisper levatæ ab adstante socio, ut in uterum ipsum, qui cæruleum, vel fuscum potius colorem traxerat, eo liberius incideretur. Quod quidem factum est, eadem observata incisionis directione, quam modo adnotavi. Hæc incisio non minus longa facta est. Uterus vero adeo tenuis erat, ut quatuor ferme foliorum chartarum inferiorum æquaret crassitudinem.

Jam apparebat tergum infantis; sed quoniam metuendum erat, ne vulneris anguli in partu eximendo destruerentur, quodquidem exitum operationis omnino impedire atque remorari potuisset, incisio ad 2. poll. adhuc dilatanda erat. Itaque, versus umbilicum difsectis integumentis, ligamentum suspensorium conspiciebatur. Partus hinc, sexus masculi, putredine jam corruptus, extractus est. Funiculus umbilicalis abscissus. Quo facto, quum uterus jam contraheretur, rogavi Cl. Kurzvigium, ut manu sua, gracili fatis atque terete, quam citissime posset, placentam uterinam eximeret.

Qui, quum læva funiculum umbilicalem caperet, dextra manu in uteri mirum in modum jam contracti foramen immissa, placentam uterinam, dextro ejus lateri adhærentem et peculiari

facculo inclusam reperit. Quam digitorum ope solutam, quinque fere horæ parte sexagesima præterlapsa, quum uterus jam coisset, non sine magno labore extraxit. In extrahendo manum obtorpescere sensit, non secus ac si partum naturalem emisisset.

Partu jam artificiali peracto, fascias necessarias adplicandas, et, quo arctius vulneris labia jungerentur, futuram nodosam triplicem adhibendam putavi; quod quidem ægrotæ dolores adeo auxit, ut, animum omnino despondens, reiterata vice vociferaretur.

Vulneris labia emplastris adhæsivis ita subinde contrahebantur, ut infra rimæ aliquid remaneret, quod linteo raso impediēbam, quo minus concreveret. Siccas porro plumaceolas superimpofui, et latera vulneris spleniis pyramidalibus compressi. Cæterum omne vulnus mappa duplici contegebatur, abdomenque lata fascia continebatur.

Quibus peractis, duo grana opii cum elæosacharo menthæ puerperæ porrexi, summa animi commendata tranquillitate. Lætabatur ægrotæ, quod perpeffis jam doloribus, onore suo deliberata esset.

Singultus, qui eam jam ante operationem infestaverat, ingravescebat, nec tempore vespertino, quo eam convifcebam, ~~non~~ omnino cessaverat, tamen eo se neque graviter affici, neque magnopere turbari affirmabat, quum etiam, dum sana esset, singultu sæpe affligeretur. — Lingua humida, fitis absentia, pulsus fere plenus; Fasciatio omnino intacta mansit.

Dies IV Januarii,

Dies post operationem primus. Nocte præterita ægrota fatis bene dormivit. Stupor et sensuum grata adfectio, effectus hausti opii, remanserant. Oris interdum convulsio atque distractio conspiciebantur. Aegra de abdominis, inflati quidem paulisper, haud vero duri, doloribus conquerebatur. Pulsus intensus; lingua muco alba contacta, cutis qualis esse debet, alvus non mota; urinam absque doloribus minxerat.

Vulnus recentibus plumaceolis et emplastris adhæsis obtegendum curavi; in fasciatione nil mutatum est. Pro usu interno, cæteris medicis uno ore mihi adstipulantibus, hanc formulam præscripsimus:

℞. Sal. Tart. ℥ijj
 Succ. Citr.
 Aquæ Menth. f. v. ℥vj
 Syr. Acetof. Citr. ℥j
 Laud. liqu. Sydenh. ℥j

Quavis hora i. cochleare sumat.

Decoctum avenae cum succo citri pro potu propinavimus.

Vespere, nil novi. Stupor, quem opii haustus creaverat, evanuerat. Aegrota fatis hilaris visa est; Vulneri iterum plumacolæ impositæ sunt.

Dies V Januarii,

Erat hic dies post operationem secundus. Aegrotā nocte bene quievit. Lingua albo muco inquinata; pulsus febrilis et intensus, haud tamen plenus aut duriusculus; quare venam secare necessarium non putavimus.

Abdomen inflatum, nullus tamen sub tactu sensus doloris. Vulnus dolebat, omnia vero et inflammationis et suppurationis signa aberant. Quæ ex vulnere effluebat, sanies foetore cada-veroso erat. Potionem Riverii absque laudano liquido plusque fucci citri commandavimus. Fasciatio renovata; plumaceolis vini aceto aqua commisto humectatis, parti vulneris inferiori emplastrum adhæsivum iterum adpositum est. Urinam copiose minxerat, ad 4. libras.

Aegrotā præter ea de doloribus non querebatur; et quum jam aliquantisper cibum appeteret, jusculum ex sago, vel cerasis ficcatis confectum ipsi porrigi voluimus.

Alvo nondum mota, enema emolliens ex avenæ et chamomillarum decocto, additis non nullis olei olivarum cochlearibus, præscribendum putavimus.

Vespere, abdomen tumidius, sanies ex vulnere profluens foetidior. Urina sedimentum deposuerat mucosum, quod frequentius adhuc fecernebatur. Pulsus febrilis, lingua pituitosa. Potio Riveriana continuata est. Quum ægrotā alvum nondum deposuisset, enema, pauxillo sale admixto, repetendum curavimus; quo facto, alvus aliquantisper soluta est.

Dies VI Januarii,

Qui est post operationem tertius. Nocte præterita non factis placide quievit ægrota, deliravit adeo paulisper. Sanies, ex vulnere promanans, quamquam admodum foetida, minus tamen olfactum adficiebat. Quæ quo liberius efflueret, situm a latere prætulimus. Pulsus celer quidem, sed minus plenus; abdomen mollius; borborygmi frequentiores, et flatus cum aliquo ægrotæ levamine secedebant. Vulneris dolor acerbior, quamquam ejus margines non dum inflammatae erant.

Pro usu interno corticem peruv. ita præscripsimus:

℞. Pulv. Cort, Peruv. rubr. ℥jss
 Coqu. cum Aqu. simpl. q. s.
 ad Colaturam ℥vj
 Liquor. anod Hoffm. ℥jss

Quavis hora ʒ. cochleare sumatur.

Externe decoctum infra descriptum adhibendum censuimus.

℞. Pulv. Cort. Peruv. opt. ℥vj
 Coqu. cum Aqu. simpl. q. s.
 ad Colat. ℥jss
 add.

Liqu. Myrrhæ ℥jss
 Mel. Rosar. ℥jj M.

Plumaccolis eodem decocto madefactis, injiciebam vulnus; quo rite ligato et fasciato, lochia et coagulati sanguinis ex vagina profluentis fragmenta conspiciebantur.

Pro prandio propinatum est jusculum ex pullis gallinaceis confectum, quod ipsa appetiverat. Hora quarta postmeridiana enema ex chamomillarum decocto, additis duobus aceti vini cochlearibus, adplicatum; quod mediocrem alvi dejectionem, multorumque flatuum decessum efficiebat.

Hinc, vespertino tempore, quum abdomen minus inflatum esset, ægrota meliuscule se habere cœpit. Vulnus nondum coibat, ejus tamen oræ haud inflatæ videbantur. Sanies profluens minus fætida. Decoctum corticis peruviani calefactum, injectionis causa, continuatum; plumaceolæ eodem decocto madefactæ.

Febris exacerbatio, genarum rubor fuscus, colorque circa oris angulos impurus nos movebant, ut corticis peruviani usum prohiberemus; substituta in ejus locum potione Riveriana, modo jam præscripto haurienda; ita tamen, ut ægra postero die decoctum cort. peruv. jam sæpius memoratum fumeret.

Dies VII. Januarii,

Qui est quartus post operationem dies.

Nocte placide quievit, somno tantummodo urgente alvi laxandæ necessitate interrupto. Mane, post haud longa intervalla, ter alvum aquosam deposuit, facto multorum flatuum decessu. Aegrota, postquam expergefata erat, decoctum cort. peruv. hauserat.

Genæ iterum rubore præternaturali suffusæ; pulsus plenus atque intensus; respiratio satis libera et cutis uti statu naturali; lingua mucò oblita.

Multum urinæ mictum; cujus in prioribus poculis vitreis sedimentum mucosum, in posterioribus vero urinam omnino jumentosam reperi.

Quare, decocto corticis peruviani posthabito, potionem Riverianam absque laudano liquido commendavimus.

Aegrotæ in lectum recentibus instructum lodicibus translata est. Abdomen aperte resederat; lochia continuo fluebant. In vulnere sanguinis coagulati fragmenta conspiciebantur, quæ sine mora eximebam; suppurationis signa animadverti. Vulneris labia, quamquam sicca, rubore aliquo vigeabant.

Interioris vulneris sphacelosam aliquam partem quum reperissem, decoctum corticis peruviani myrrha commistum injici, plumaceolas vero hoc unguento oblini curabam:

℞. Unguent. Basilic.
 de Styrac. ana ʒj
 Pulv. cort. peruv. ʒij
 M. F. Unguent.

Prandebat ægrotæ tenue pullorum gallinaceorum jusculum, frustulis non nullis panis triticeï injectis. Decoctum ex pane confectum, citri acido admixto, pro potu ordinario habebat.

Tempore postmeridiano lochia largius profluebant, ægrotæ ter alvum deposuerat pulmento similem.

Vespere, fasciatio renovata est. Vultus ægrotæ hilaris;

lingua pura, pulsus minus intensus. Propter frequentiores alvi dejectiones, oryzæ decoctum pro potu commendatum.

Dies VIII Januarii,

Qui est post operationem quintus. Noctem inquiete trans-egit ægrota; sexies alvum foetidam cum copiosa urina deposuerat; cæterum fatis bene se habebat, somno quamquam haud semel interrupto. Abdomen parum inflatum et ferme naturale; lingua pura et humida; pulsus æqualis et mollis. Aegra in lectulo se erigere gestiebat, quod ipsi negatum est. Vulnus aliquantisper inflammatum; puris parum. Fibras non nullas sphacelosas easque in vulnere secretas demi jussi.

In obligando vulnere dolores acerbiores. Ex mammis, quæ hucusque fugi curaveram, ut humorum confluxus versus uterum minueretur, lactis aliquid promanabat.

Ne alvi dejectiones auferentur, potio Riveriana omnino prohibita est.

Prandebat ægrota cupide jusculum ex fago et pane bis cocto confectum.

Vespere, mediocriter se habebat, quater aquosa alvo, simul cum duobus lumbricis, deposita. Diebus præteritis frequenti singultu adflictata fuerat; hodie singultus increbuit; quod, utpote omen sinistrum, nos perturbasset, nisi ægrota, dum perfecta sanitate uteretur, hoc malo jam laborasset. Cætera nos sperare jubebant.

Pulsus aliquantisper febrilis, lingua pura et humida; sitis

moderata, cutis naturalis. Vulnus denique adpectu fatis læto, et pus, jam copiosius promanans, bonæ notæ erat.

Vespere, ægrotæ polentam mannae (Mannagrütze) cum pauxillo butyro porrigebamus; potui ordinario gummi arabici aliquid admixtum est. Enema subinde ex decocto corticis peruviani cum pulvere gummi arabici præscriptum; sæpius lac tepidum, chamomillis infusum, vaginæ injici jussimus.

Dies IX Januarii,

Qui est sextus post operationem. Noctis præteritæ quies fatis placida, diarrhœa (sexies enim ægrotæ alvum deposuerat) paulisper turbata est.

Lochia parum copiose fluebant; lingua pura; pulsus citior, haud tamen plenus. Abdominis inflatio ita inminuta, ut fere naturale esset.

Vulnus, quamvis parte inferiore sphacelosi aliquid remaneret, lætum fatis adpectum præbebat.

Fasciatio uti supra. —

Loco decocti ex granis oryzæ confecti, mucilaginem radicis Salepi, pro potu, præscripsimus. Aegrotæ, quæ jam cibos solidiores quam maxime appeteret, me permittente, jusculum carnis bovinæ prandebat, alicæ formæ minoris aliquantisper spissatum, frustulisque panis bis cocti additis. Cæterum infuso chamomillarum usus sum ad vaginam perpurgandam.

Vespere, pulsus paullo febrilior; alvus sæpius laxata. Vulneris fasciatio more solito facta; nodus inferior, ubi vulnus

egregie coaluerat, dissectus. Ut diarrhœa sedaretur, enema ex cortice peruviano, admixto gummi arabici pulvere, præscriptum est.

Dies X Januarii,

Qui est post operationem septimus. Nox satis placide transacta. Tres alvi evacuationes pulmenti speciem præ se ferebant. Pulsus aliqua exacerbatio; linguæ nulla spurcities; urinæ color subfuscus vel luridus cum sedimento mucoso. Mammæ lacte jam intumescebant; abdomen haud amplius inflatum, sed molle, adeo ut ne sub tactu quidem doleret. Eo gravius ægrota vulneris, ubi suppuratio egregie procedebat, dolores accusavit. Particulæ ejus sphacelosæ omnino secretæ conspiciebantur. Diætæ et externæ curationis eadem ratio. — Decoctum supra descriptum corticis peruviani cum gummi arabico, enematis instar, injiciendum curavimus. Pro prandio sumebat ægrota jusculum pullorum gallinaceorum; mucilago radicis Salepi potui inferviebat.

Vespere, ex votis omnia procedebant. Vulneris oræ vigebant; abdomine utrimque leniter compresso, multum puris effluxit. Utroque nodo superiore dissecto, vulnus emplastris recentibus iisque adhæsivis, plumaceolisque contactum. Post diem tertium quam operatio fieret, lectum quotidie ægrota mutavit, ita ut situs ab utroque latere ratio haberetur.

Dies XI Januarii,

Qui est octavus post operationem. Ægrota, post satis

quietam noctem, alvum, nec omnino liquidam, semel deposuerat. Quum Salepi mucilaginem adferretur, decoctum panis commendatum est. Cæterum, lingua pura, pulsus, quoad frequentiam, naturalis; abdomen molle. Urinæ multum mictum. Ex vulnere pus bonæ notæ secretum. Fasciatio uti supra. — Situs sedentarii jam magis habita est ratio. — Spe nostra melius omnia procedebant.

Vespere, quum vulnus obligaretur, multum saniei simul cum sphacelosa aliqua omenti particula ex abdomine profluxit. Injectiones, abdomini et vaginæ hucusque factæ, non amplius continuatæ sunt.

Dies XII Januarii,

Qui est post operationem nonus. Aegrotæ admodum bene dormivit, alvo semel tantum pulmentari deposita. Sanies large profluebat, vulnere egregie suppurante. Quare fasciatio sicca usi sumus.

Vespere, abdomen aliquantisper intumuerat, dolebat subinde vulnus; pulsus haud absque febrili exacerbatione.

Dies XIII Januarii,

Qui est decimus post operationem. — Quies satis placida; per noctem ter alvo pulvi simili deposita. Abdomen tumidum, minus tamen saniei. Pulsus haud fere amplius febrilis. Vulneris suppuratio egregia. Lochia jam fluere desiverant. Aegrotæ,

a latere posita, fructus coctos appetebat, eosque fumebat. Fasciatio uti die præterita.

Vespere, abdomen refedit, faniei magna exonerata copia. Pulsus non amplius febrilis; lingua omnino pura; ciborum appetitus vehementior.

Dies XIV Januarii,

Qui est post operationem undecimus. Somno placido recreata, bene se habebat ægrota, adeo ut ipsa diceret: nisi vulnus se morbi commune faceret, ignoraturam se mala sua. — Jam ideo spem lætam concipere licebat.

Dies XV Januarii,

Qui est post operationem duodecimus. — Somnus qualis fanorum esse solet; alvus naturalis; membrorum omnium aliqua agilitas atque levitas, sensuumque præterea grata adfectio. Vulneris suppuratio læta.

Dies XVI Januarii,

Qui est post operationem decimus tertius. Aegrota, uti die hesterno, bene se habebat, lætitiæque aliquam præ se ferebat.

Dies XVII Januarii,

Qui est decimus quartus post operationem. Nil novi observatum est.

Dies XVIII Januarii,

Qui est decimus quintus post operationem. Nox satis placide transacta.

Enema ex infuso chamomillarum, oleo olivarum et sale, quantum fatis, admixto, evacuationes non nullas ciebat; multumque simul urinæ cum sedimento coloris subrutili, forsitan propter lac resorptum, exoneratum est. Pulsus sexagesima horæ parte 106 ictibus micabat; lingua sordida; ciborum tamen appetitus. Quum fordes et cruditates in primis viis suspicarer, pulvis ex cremoris tartari, magnesiæ albæ et rhei radicis æqualibus partibus propinatus est. Vulnus minus suppurabat; fluoris abdominalis ne vestigium quidem; quamquam ægrota decem circiter ante fasciationem minuta in abdomen cubuerat.

Quodcunque injiciendum curabam, nullo omnino tracto colore, refluebat. Hausto pulvere supra dicto, non nullæ alvi aquosæ dejectiones sequutæ sunt. Nil præterea pro usu interno præscriptum est.

Dies XIX Januarii,

Qui est post operationem decimus sextus.

Ægrota, quum cubiculum intrarem, in lecto sedebat, vultuque læto nos compellans, „placide,“ inquit, „nocte præterita dormivi; si hunc in modum convaluero, me vobis mox obviam habebitis.“ Pulsus uti die hesterno, lingua vero minus sordida. Quoniam mulier decumbens jam medicamina nauseabat, nec ulla exstabant indicia, quæ ea postulare viderentur, pro usu interno nil omnino præscriptum est.

Vulnus, quum nil puris amplius fecerneret, unguento supra commemorato obligari curavimus.

Vespere, ægrota perbene se habebat. Pulsus ictuum imminutio. Vulnus puris albi aliquid ejiciebat. Inde ab hodierno die semel tantum quotidie fasciatio instituta est.

Dies XX Januarii,

Qui est post operationem decimus septimus.

Ægrota uti heri se habebat. Talis erat oris hilaritas, tantaque in colloquendo affabilitas, ut eam ægrotare atque decumbere vix sentires. Carnem assam quam appetiverat, pransa est.

Dies XXI Januarii,

Qui est post operationem decimus octavus.

Post quietem nequaquam turbatam, pulsus iterum sexagesima quavis horæ parte 106 — 108 ictibus vibrabat; quæ quidem pulsus excitator vibratio satis insolens visa est, quum cæteroquin ægrota satis bene se haberet.

Urinæ pallidæ copiam cum sedimento mucoso exoneraverat. Inde ab hesterno die alvus clausa; quare enema ex infuso chamomillarum, additis duobus vini aceti cochlearibus, injici jussimus. Ter inde alvum fœculentam deposuit ægra.

Dies XXII Januarii,

Qui est post operationem undevicesimus. Nihil observatum commemoratu dignum. Ægrota, præter spinæ dorsi dolores, de nullo omnino conquerebatur malo.

Dies XXIII Januarii,

Qui est post operationem vicesimus. Omnia, quoad ægræ statum, uti heri.

Dies XXIV Januarii,

Dies post operationem vicesimus primus. Quum fasciatio institueretur, in vulnere aliquid sanguinis observatum est. Cæterum nil mutatum inde ab hesterno die.

Dies XXV Januarii,

Dies post operationem vicesimus secundus. Et hodie aliquid sanguinis in vulnere cernebatur, expressumque tantum est, quantum cochlear formæ minoris caperet.

Aegrotā iterum doloribus in spina dorsi adflicta est. Qui quum auferentur, abdomine non secus adfecto, ac si menses intravissent (ita referebat aegrotā), suspicabamur, sanguinem ex uteri, qui nondum coaluerat, vulnere promanare; quamquam in vagina ne vestigium quidem hujus rei detectum est.

Vespere, dolores dextero abdominis latere vehementiores, iique fixi, adeo ut sub tactu ingravescerent. Durities subinde ibique observata. Enema igitur ex infuso chamomillarum et oleo olivarum præscriptum est. Medicamen emolliens vaginæ injiciendum curavimus.

Dies XXVI Januarii,

Qui est post operationem vicesimus tertius. Post satis placidam quietem, dolores, qui, enemate injecto, remiserant, recruduerunt. Linimentum volatile cum camphora parti corporis adfectæ infricari, decoctumque myrrhæ cum melle rosarum abdomini injici volumus.

Tentata etiam injectio per vaginam in uterum, ut apparet, an vulnus ibi esset, unde sanguis proveniret. Illa vero nil efficiebat; et, quum uteri orificium paullo altius esset, quam ut facile attingeretur, veri simile erat, injectionem in abdomen ipsum non penetrasse.

Vespere, dolor ita auctus est, ut vix ferri posse videretur. Leni adhibita frictione, ex vulnere puris crassi, admodum foetidi et albi tantum, quantum cochleari magno capi posset, effluxit.

Delitescere mihi videbatur hocce pus intra abdominis musculos et peritonæum; externe enim, quamvis duritiem aliquam animadverteremus, nil tamen tumoris vel fluctuationis observatum est. Quæritur: an materies illa gelatinosa a lacte per metasthasin coagulato atque residuo, an ab acuum fodicatione sit repetenda. Alii me peritiores judicent; equidem sententiam priorum prætulerim.

Vulnere sindon immissa; quo facto, plumaceolæ unguento jam laudato illitæ superimpositæ sunt.

Dies XXVII Januarii,

Qui est post operationem vicesimus quartus. Inquiete nox transacta est, somno sæpius dorsi spinæ doloribus turbato. Aegrota eodem modo se adfectam fuisse dicebat, quum quondam menstrua appropinquarent.

In vulnere nihil sanguinis, paxillum vero puris repertum est.

Jam ægrota in abdomen posita, quum leniter demulcendo corpus inde a tergo ad abdominis usque partes inferiores per-

fricuissem, nihil ejusmodi materie in conspectum venit. Quare, quum cæteroquin muliercula nostra satis bene se haberet, nil præter enema ex infuso chamomillarum cum oleo olivarum præscriptum est.

Vespere, dolores spinæ vehementiores, abdomen intensum flatibusque intumescens. Ex vulnere nihil profluebat. Enema ex chamomillarum decocto, femine foeniculi et cari addito, injectum est.

Liquor. anod. min. Hoff. gtt. XX et laudan. liq. Sydenhami ad gtt. X. scutella thea chamomillæ plena propinatum est.

Dies XXVIII Januarii,

Post operationem dies vicesimus quintus. Doloribus spinæ dorsi jam imminutis, satis quiete ægrota dormivit. Pulsus quacunque horæ sexagesima parte 106 ictibus pulsabat. Ex vulnere aliquid sanguinis effluebat. Decoctum chamomillarum cum vulnere tum vaginæ injectum; enema præterea ex infuso chamomillarum emolliens, interne vero pulvis jam supra dictus, castorei moscovitici granis quinque admixtis, præscriptus est.

Dies XXIX Januarii,

Post operationem vicesimus sextus. Aegrota placide quievit; quater alvus mota, cum decessu multorum flatuum. Dolor lateris dextri vehementius insurrexit, ita ut, parte adfecta vel leviter contacta, vix ferri posse videretur. Tantum sanguinis ex vulnere promanaverat, ut, quo contactum erat, mantile om-

nino maderet; plus tamen in obligando vulnere expressum est. Pulvis, quem heri commendaveramus, continuatus.

Dies XXX Januarii,

Vicesimus septimus post operationem. Pulvere modo dicto deglutito, ter alvum pulmentarem deposuerat.

Vespere, et spinæ dorsi et lateris dolores multo minus graves. Nihil sanguinis ex vulnere profluentis. Pulsus qui inde a XVIII die Januarii semper fere 106 ictibus pulsaverat, quavis horæ sexagesima parte, ad 90 ictus nunc dumtaxat repetebat.

Dies XXXI Januarii,

Post operationem vicesimus septimus. Nec hodie ex vulnere sanguis promanabat. Pulsus quacunque horæ parte sexagesima septuages et bis micabat. Dolores fere omnino evanuerant, linguæ aliqua spurcicies; quam ob rem pulvis jam supra laudatus cum castoreo porrigebatur. Cæterum ægrotæ vultus satis hilaris, ciborumque non deerat appetitus.

Dies I Februarii,

Qui est vicesimus nonus post operationem. Dolores penitus desiverant. Sanguis neque ex vulnere, neque ex vagina amplius effluebat. Aegrotâ placide dormiebat et cibos appetebat. Pulsus naturalis.

Ad quartum usque diem Februarii omnia ex votis succedebant. Excretiones, pulsus, cæteræque functiones quales sanorum esse solent. Vulnus cum jam coalescere vellet, die IV Fe-

bruarii iterum injectio vaginæ adplicanda tentabatur; ut tandem in apicum deduceretur, an vulnus aliqua ibi superesset. Decocto, quo, injiciendi causa, utebatur, cum sanguine refluente, de tali vulnere non amplius dubitabamus. Hinc infusum corticis peruviavi ℥j cum myrrhæ drachma dimidia ad colaturam ℥vj utero inmissum.

Quo facto, jam proximo die uteri vulnus non amplius cernebatur; neque injectio extrinsecus, sed per vaginam, ut in uterum penetraret, fieri neque poterat, debebat; quod quidem difficile factu erat, propter nimis altum uteri situm. Ad nonum usque Februarii diem vulneris injectiones continuavi multumque sanguinis et puris aliquid inde elicui.

Dies IX Februarii,

Post operationem trigessimus sextus. Ex consilio cl. D. Starkii, fetaceum hodie utero inmitti hac ratione voluimus: specillo flexibili per vulneris orificium inserto, uteri vulnus facile contingere atque contrectare licebat; quod quum ex sententia successisset, sndonem unguento ægyptiaco illitam ibi figendam firmandamque curavi, specillo se ipso in vaginam viam apperiente.

Die XIV Februarii, fetaceum extrahendum cæteraque naturæ jam vigentioris viribus relinquenda censuimus.

Die XIX Februarii, Vulnus jam coaluerat, cicatrice tamen nondum vulneri obducta.

Vespere, ægra spinæ dorsi dolores vehementiores accusabat, quibus paullum languescens, fluxus menstruus apparuit; qui, postquam modice effluerat, post triduum omnino desit.

Paullo post cicatricem vulnus ducebat, ægrotaque pristinæ sanitatis integritati omnino restituta erat.

Jam si in tentanda curandaque, quam modo literis mandavimus, sectione cæsarea, et si non arti, studio certe, assiduitati et vigilantia nostræ aliquid tribuendum est, haud tamen silentio præterire debemus ea, quæ apperte artem nostram adjuverunt, quæque vim suam mirifice exseruerunt ad curationem feliciter ad finem perducendam.

Aegrota nostra, uti jam supra commemoravimus, uxor erat opificis admodum egeni, quæ, conflictata cum tantis iisque gravissimis malis, quum subinde et vitæ sustentandæ et corporis curandi spe omni destitueretur, animum certe despondisset, nisi civitatis Rigenfis, quæ viris gaudet egregie munificis, cives nonnulli, (quorum nomina oblivioni tradere eorundem jubet modestia) dono 160 thalerorum, paucis diebus post operationem oblato miseræ succurrissent. Quid quod? munusculum inopinato acceptum nervis vim aliquam addidit, ad mali ingravescentis molem superandam. Neque ignorant illi, qui artem medicam exercent, quantum lætiora animi phantasmata, sensusque gratiores ad morbos vel omnino depellendos vel moderandos faciant. Quodsi ergo dono illo, supra commemorato, factum est, ut sphaceli vulnus jam adfectantis progressus retar-

darentur, ciborum vero appetitus et digestionis vires augerentur, certe hoc arti meæ nullo modo arrogaverim. In scriptis Conringii, Pechlini. Ettmulleri exempla occurrunt, unde apparet, lætitiâ animique hilaritatem ita benigne operari. Quare mirandum est, quod medicæ artis periti in morbis curandis non omnino tales animi adfectus excitare studeant. Addamus, quod ægrota mea, non multo ante nupta viro, mira vitæ dulcedine tenebatur, qua ut diutius frueretur, utpote, vitæ summæ brevem immemor, spem inchoatura longam, omnes labores atque ærumnas fortiter et strenue exantlandas in se fuscipere non dubitavit.

Quare recte monet Cl. Reil *), „medico in id imprimis incumbendum esse, ut ægrotorum animus cum excitetur tum confirmetur. Ita enim morbi ipsam molem levare, vitæ aliquem usum, aut certe spem relinquere, ubi morbi vis aliquantisper languerit; mala vero ingravescere et exacerbare, quum ægrotus de vita desperare cœperit. „Pergit auctor supra laudatus: Quæ quamvis non ubique ab arte medici pendeant, quum interdum nervorum morbo adfectum tanta sit debilitas, ut vel ille, qui modo bono animo tormentis et omni Martis armaturæ se opposuit, more anicularum, scalpelli aciem, unguibus recidendis admotam reformidet; tamen medici, a profano circumforancorum agmine segregati, dignitatis suæ artis ratione habita, et physiologiæ saniorisque philosophiæ confectantes præcepta,

*) V. Erkenntnis und Char der Fieber, 4 B. S. 235.

omnes vires intendent, ut etiam ab hac parte ærumnosæ humanitati inferviant."

Οὐ μὲν γὰρ τι πρὸς ἐστὶν ἐπιζωωτερον ἀνδρος
Παντων, ὅσα τε γαίαν ἐπιπνεῖει τε καὶ ἔρπει.

